

Recte a Catholicis adhibetur Sacramenti nomen, injuste ab Hæreticis rejicitur.

§. IV. I. Quoniam *Sacramentum* latina vox est, quam in primigenio Scripturæ textu inepte prorsus quærunt Novatores §. II., sufficit si æquivalens nomen in illis habeatur; atqui æquivalens vox in Scripturis habetur; ait enim *Apostolus ad Eph. V. : Sacramentum hoc* (græce *Mysterium hoc*) *magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*; quæ vox *mysterium* idem est Græcis ac Latinis *Sacramentum*, ut, teste *Bellarmino*, adversarii ipsi ultro fententur; ergo recte a Latina Ecclesia adhibetur *Sacramenti* nomen.

§. V. II. Recte a Catholicis adhibetur vox illa, qua jam a suis incunabulis ad hæc usque tempora usa est Ecclesia; atqui jam ab incunabulis *Sacramenti* nomine usa est Ecclesia, ut constat ex *Tertulliano de præscit. C. XVI. & l. 1. contra Marcionem ante medium*; ex *S. Cypriano l. 2. ep. 1.*; ex *S. Hilario in Psalmum 121.*; ex *Lactantio l. IV. c. 17.*; ex *S. Hieronymo in c. 44. Ezech.*; ex *S. August. l. 2. de doctr. Christiana*; ergo &c. Tandem Concilia omnia, libri *Rituales*, *Sacramentaria* omnia, etiam antiquissima, hanc *Sacramenti* vocem adhibent in eo sensu, quo *Catholici* loquuntur, ut constat ex *Morino*, *Mabillonio*, *Du-Cange*, & aliis; qua igitur fronte Novatores veteratores isti, contra quos agimus, asserunt, *Sacramenti* nomen recte a *Fidelibus* non adhiberi? An volunt novas voces fingere, ut paulatim ex novis vocibus novitas doctrinæ, novitas fidei oriatur? nobis vero id non arridet, cum memores simus sententiæ *Apostoli 1. Tim. c. 6. : O Timothee depositum custodi, devitans profanas vocum novitates.*

§. VI. Altera pars propositionis nostræ probatione non indiget; nam si recte a Catholicis adhibetur *Sacramenti* nomen, ex §. IV. & V. nonnisi injuste ab hæreticis rejicitur; verum hæc controversia tanti non est, ut in ea diutius immoremur.